Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



18.

esse, cum Baronio sentit Papebrochius. Quod autē Baronius Martyrologio Romano inseruit ad 11 Cal. Sept. quod postea Romam translatum in Ecclesia sancti Silvestri ad Campum Martium summa populi devotione asservatur: haud satis prudenter factum, idem Papebrochius offendit. Et licet Ita eruditissimus noster Franciscus Lachemayr in suo Diario de an. 1688 referat: Romae apud S. Isaacdem Fur in Ecclesia Monialium ordinis S. Clarae ad S. Silvestrum, ubi exponebatur Caput S. Joannis Baptistae: nihilominus inde sequitur, quam vel alterum Joannis caput ibi existere, ut vult Papebrochius, vel partem Capitis S. Joannis B.

Ad Caput referri etiam potest sanguis, ex ejus sectione fusus: qui tum Vasati in Gallia, tum Neapoli, Modoetiae, ac Jamae in Italia, magno cultu asservari, et quotannis in festo Decollationis S. Joannis sepius liquefieri atque ebullire dicitur, multisque beneficiis abundare. Unde Quo autem modo sanctissimus esse cruor servatus et translatus fuerit: difficile dictu est. Narrat S. Gregorius Turonensis l. 1 Miracul. c. 19: paulo ante quam Baptista decollaretur, matronam quandam e Gallia in Palaestinam venisse, prosentem hanc decollationi, destillantem sanguinem concha argentea excepisse, et in Galliam retulisse. Sed hanc narrationem interpolatam esse suspicatur Papebrochius; qui mavult credere, sanguinem a discipulis Joannis humi collectum, postmodum a fidelibus in Occidentem et fuisse allatum.